DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

OPHTHALMIA.

Auctore M. Park.

In oculi morbis, quanquam vita, rarissime in discrimine sit; tamen dum perstant, admodum molesti sunt. Sæpissime quidem mutationibus excipiuntur, quibus functiones hujus organi, ad voluptatem, etiamque ad vitam hominis tam necessariæ, aut penitus delentur, aut valde depravantur. Curationem igitur tutam et promptam maxime postulant. Horum morborum, nullus est frequentior, gravior, quive alia vitia oculo sæpius infert, quam Ophthalmia, seu oculorum inflammatio;—fere omnium quibus oculum infestatur morborum fons et origo.

Ad inflammationem quoque, oculi admodum proclives sunt, et tenera structura, et motuum varietate; quo fit ut causæ—parti minus delicatæ, nihil damni allaturæ—oculis graviter sæpe noceant.

DE MORBI DEFINITIONE.

Ophthalmia celeberrimo Culleno his verbis definitur,—"Rubor et dolor oculi, lucis in-"tolerantia, plerumque cum lacrymatione." In duas species dividit, Ophthalmiam Membranarum, et Ophthalmiam Tarsi. De specie ultima hic non dicendum est; primæ, a scriptoribus fere omnibus, duæ notantur varietates: Scilicet, si morbus recens est, et signa inflammationis satis notabilia sunt, *Acuta* denominatur; et *Chronica*, quum remediis aptis non sanatur, et cursum lentem servat; vitii systematis totius plerumque symptomatica, sed oculo ideo haud minus nocitura.

Ophthalmia Acuta, de qua primo tractan-

dum est, varias habet formas, signis, et situ, inter se plane diversas. Horum præcipuæ sunt, *Ophthalmia Acuta Simplex*, *Purulenta*, in membrana conjunctiva, et *Ophthalmia Iridis*, in interna parte oculi. Agnosco alias membranas internas, præter iridem, inflammatione sæpe laborari; siquidem *choroiditis sclerotitis*, aliaque hujusmodi, a scriptoribus variis annumerantur, sed perraro sine iritide videntur. Signis autem haud certis dignoscuntur; et quod magis interest, curationem diversam non postulant.

DE SIGNIS ET CAUSIS.

1*mo*, Acutæ Simplicis Ophthalmiæ.—Incipit plerumque hæc dolore levi, vel oculi pruritu; lacrymæ majore solito copia affluunt; et conjunctiva rubra, et vasis sanguineis turgida, apparet. Hoc primum interiori parte palpebrarum observatur, sed cito per totam conjunctivam serpit, præter partem corneæ impositam; quâ vasa sangui-

nem rubram vehentia, initio morbi nunquam videntur. Interdum oculus non adeo gradatim afficitur, sed subito et prægressâ nullâ molestiâ, oculi dolores, aliaque signa instant: Intolerantia lucis ægrum multum vexat, oculus maxime dolet quotiescunque ad lucem objicitur, et palpebræ clausæ sunt ad hanc evitandam. Hæc non semper aliis signis consentit; sæpe enim molestissima est, cum rubor, et alia signa levia sunt.

Si dolor gravis, per caput lancinans, hunc statum comitatur, credibile est inflammationem internas membranas occupare. Interdum conjunctiva tumida est, effusione seri aut sanguinis, quod Ecchymosis, vel Chemosis Spuria, nonnullis dictum est. Membranaque cellulosa palpebrarum valde sæpe distenditur. Interdum æger quæritur de particulis arenosis, oculum lacessentibus, etiamsi inspectione accuratissima factâ, nulla hujusmodi in oculo reperiantur; aut semper ante oculum adsunt maculæ nigræ; id quod sæpius observatum est, quum morbus aliquo pro tempore duravit; et, a clarissimo Ware,

amaurosis instantis signum habetur *. Interdum, sed raro, lacrymæ penitus supprimuntur, oculusque aridus et nitidus apparet; hunc comitantur plerumque dolor acutus, et cephalalgia gravis.

Pyrexia a symptomatum violentia pendet, et raro magna observatur, nisi in temperamentis valde nervosis, et cum dolor totum caput occupat; frequenter verò nulla fere observanda est. Interdum, cum morbus tres aut quatuor dies duraverit, maculæ subalbidæ observantur, vasis rubris circumfusæ, pustulæ dictæ; hæ in ulcera sæpe desinunt, atque lympha effusa, cum eædem sanantur, frequentissima causa est opacitatis corneæ.

Causæ, hujus formæ numerosissimæ sunt, sic vis externa, ut cùm telis aut ictibus oculus læditur, quando aut gladius, aut aliquid simile, in oculum impulsum fuit. Si profunde penetrant, visus amittitur, ob injuriam retinæ illatam; aut si pars retinæ per aperturam procidit, caligine statim excipitur. Alia

* Vide Remarks on the Ophthalmy, &c. by J. Ware, p. 13.

causa est, et haud rara, cum extranea, veluti particulæ arenæ, aut ferri, infra palpebras hærent, et non removentur, fluxu lacrymarum quem liberè excitant. Oportet, itaque, si de hoc quæstum est, oculum diligenter inspicere, et corpuscula si adsunt irritantia tollere. Exempla enim non desunt, ubi hâc curâ prætermissa, constat ægrum longo morbo vexari, et frustrà remedia celeberrima tentasse. Inversio ciliarum, tumores, aut verrucæ in palpebris, a pressu inæquali quod oculo faciunt, morbum interdum inducunt; sed causa longe frequentissima mutatio subita temperiei est; quin præcipue frequens et gravis morbus est in regionibus calidioribus, ubi dies sicca et torrida, nocturno aëre frigido, vaporibusque onusto, excipitur. Hic morbus quoque inflammationem narium et faucium interdum comitatur. Stimulantia vel acria oculo applicata, ut lux nimia, vel radii solis, terra vel etiam nive, reflexi, et inspectio repetita rerum minutarum, ut quorundam artificum usus est, hoc malum non raro excitant.

Causæ prædisponentes sunt quæcunque corpus debilitant, aut fluxum sanguinis caput versus augeant; et iis præsertim molestum est, qui prius morbo vexati fuerunt.

DE SIGNIS ET CAUSIS OPHTHALMIÆ PURULENTÆ.

Hæc forma varia nomina adepta est, ut *Ophthalmiam Ægyptiacam*, quia tam frequens et gravis fuit nostris ea regione militantibus; et *Purulentam Infantum*, qui quidem maxime hac forma morbi inficiuntur. Signa initio eadem fere sunt ac in forma priore, sed multo graviora; dolor acutior, membrana palpebrarum sero ita distensa, ut superior palpebrarum ad genam prolongetur, conjunctiva elevetur, et corneam quasi annulo circumdat; postea villosa fit, et materiam purulentam effundit; tumor conjunctivæ fit effusione lymphæ inter tunicam istam et scleroticam; cumque musculus orbicularis contrahitur tumorem propellit, et palpebras

evertit; quod infantibus flentibus sæpe accidit, et superficiem internam palpebrarum rubram et villosam ostendit. *Purulenta* a Simplice Acuta signis, quam cursu, non magis differt; mira nimirùm celeritate qua opacitates, ulcera, et gangrenam corneæ infert. Hoc olim singulari fluxûs acrimoniæ imputatum fuit, quam corneam quasi erodere, existimaverunt. Observatio tamen satis accurata, hanc opinionem erroneam esse ostendit; quoniam palpebræ sæpe clausæ fuerunt pluribus diebus, fluxum igitur cohibentes; tamen hic effectus ideo non magis frequens fuit, sed etiam ulcera corneæ optime sanata fuerunt. Oportet igitur referri ad morbi violentiam, cujus fluxus purulentus signum est, nequaquam causa. Hæ mutationes corneæ, situ peculiare membranæ conjunctivæ, multum accelerantur; ea pars, enim, corneæ imposita adeo firmiter illi nexa est, ut effusio nunquam subito fit inter eas, sed portio conjunctivæ, sclerotica dicta, elevata et tumida, hanc partem multum tendit.

Rubedo erysipelatosa circa oculum, in hac forma interdum observatur.

Causæ sæpe sunt ab iis speciei simplicis, prorsus diversæ; tamen adhuc inter auctores disputatur, an altera in alteram speciem unquam transeat. Diu quoque disputatum fuit, an hæc forma contagiosa sit. Nunc, tamen, nil dubium est morbum contagione sæpe propagari; scilicet, si fluxus puriformis oculis admovetur. Fluxus ejusmodi etiam ab aliis membranis secernentibus, si conjunctivæ applicantur, hanc formam ophthalmiæ sæpe inferunt ut præsertim in infantibus visum est, si mater fluore albo, vel gonorrhœa, laboret. Olim crediderunt, gonorrhœa subito suppressa, sæpe per metastasin fluxum ad oculos, delatum fuisse, et ibi ophthalmiam violentissimam gignere; certe formæ infaustissimæ interdum inducuntur fluxu gonorrhœæ, ipsis oculis applicatæ. Sed morbus adeo rarus est, pro numero, gonorrhœarum subito suppressarum ut multi judicaverunt, hanc causam erroneam esse; et mehercle non satis constat, cur fluxus, ad membranam faucium vel etiam tracheæ, urethræ structura, et functionibus multum si-

miliorem, non transiret? Certe nemo hodie conaretur reducere fluxum urethræ, si suppressa esset fomentis acridis, et epispasticis, ut olim mos erat; neque hoc argumento, cur gonorrhœa non celeriter sanata sit, defenderet.

Quoniam hæc species sæpe contagione propagata sit, cura adhibenda est ne ab ægro ad sanos transmittatur; igitur omnia, quæ materiam purulentam retinere possunt, optime lavanda sunt, et in nosocomiis, castrisve, ægri ab integris separandi sunt.

DE SIGNIS ET CAUSIS OPHTHALMIÆ IRIDIS.

Cum conjunctivæ inflammatione hæc haud raro conjungitur; attamen interdum observatur cum hujus tunicæ nulla fit mutatio; si inflammatio adoritur tunicam exquisitissimam iridis, colorem pulchrum, nitidumque amittit, flaccida fit, et margo interna densatur, et in crystallina convergit, pupillaque

rigide contrahitur. Vasa tunicæ scleroticæ, ubi ei cornea annectitur, tumida observantur, et corneam zonâ rubrâ circumdant. Intolerantia lucis molestissima est; et, ut in aliis formis, adsunt dolores oculi et capitis, fere semper graves et lancinantes.

Causæ sunt inflammatio conjunctivæ, sæpe in iridem extensa, et tunc secundaria, dicitur a quibusdam. Sæpe tamen, ut diximus hâc tunica parum affectâ supervenit iritis primaria; quod plerumque fit aut a syphilide, aut hydrargyro nimiâ copiâ assumpto.

DE OPHTHALMIÆ TERMINATIONIBUS.

Frequentissima Ophthalmiæ terminatio, resolutio est. Si hæc non fit, visus deletur, aut confusus redditur variis modis; ut si corneâ ulcere, aut gangrena ruptâ iris prolabatur; vel si opaca facta propter effusionem lymphæ, radios lucis ad retinam non transmittit; quod fit quoque, si iris lenti crystallinæ an-

nectitur, et pupilla lymphâ obstructa est, vel tunica retinæ tenerrimâ, congestione sanguinis læsa, in amaurosi desinit; et interdum sed perrarò lethale est, inflammatione ad cerebri membranas extensa quod Gregorio nostro observatum fuit: Denique Acuta in Chronicam sæpe transit.

DE PROGNOSI.

Hæc violentia symptomatum deducenda est: Pyrexia gravis, cum dolore capitis acuto, et intolerantia lucis magna, semper metuenda sunt. Prognosis in Ophthalmia Simplice multo magis fausta quam in Purulenta aut Iritide est, ob miram celeritatem qua Purulenta corneam sæpe destruit, et grave incommodum quod minima etiam mutatione iridis, infertur. In Purulenta, ad corneam præcipue adhibendum est; si nigrescat, aut potius coloris cineritii fiat, in morbi progressu, gangrena aut instat, aut adest. Si ulcus in eo est, lympha leniter circumfusa,

pro bono habenda est; sed si nulla adsit lympha, si ulcus profundum sit, et vesicula in ima parte ulceris apparet, corneam pro certo penetrabit. Prognosis quoque, magis fausta est infantibus quam adultis, et in iis, opacitates magis frequenter absorptæ sunt.

DE CURATIONE OPHTHALMIÆ ACUTÆ SIMPLICIS.

Omnes hujus morbi species ab auctoribus in dua stadia dividuntur, verbis quidem haud facile describenda. Primum est ubi inflammatio urget ingravescitque, quod stadium activum denominant. Et cum actio aucta vasorum ad summum ventum est, et paulum cessare incipit, stadium secundum, vel congestionis, quibusdam dictum est; quia morbum, magna ex parte, atonia vasorum constare putant. Hæc distinctio, quanquam parum certa appareat, tamen in remediorum usu perutilis est.

In Stadio Primo vel Activo, curatio ten-

tanda est, remediis, quæ vim cordis et arteriarum minuunt; hæcque remedia satis certa sunt, si rite et tempestive adhibita.

Modus proximus et rectissimus, actionem vasorum minuendi, *sanguinis missio* est, et nullum, exstat organum, quo dum urget inflammatio utilitas hujus remedii magis apparet, aut notabilior est. Vasa conjunctivæ, sanguine plena, et tumida, frequenter contrahere, et arctiora fieri visa sunt; etiam dum effluit sanguis; et si supervenit deliquium, hæc membrana, pro tempore fere pallida fit.

Copia qua sanguinem mittere oportet temperanda est ætate viribusque, ægri, et violentia morbi, ut in aliis phlegmasiarum; frequens et ampla sanguinis detractio nunquam fere morbum eradicabit, et multis animadvertitur, quod, in formam chronicam inveteratam transire efficit, viresque ægri multum exhaurit. "Such practice, when applied "under the most favourable circumstances, "namely, at the commencement of the dis- "ease, and in men capable of bearing this

"reduction, has not always prevented it "from passing into its most inveterate chro-"nic state; and if applied to men badly fed, "and breathing the air of a large city, it "would be destructive *."

Missio sanguinis generalis, igitur, nec temere, nec sine discrimine utenda est; sed prospiciendum, effectibus remedii, habitu ægri et pulsûs statu.

Missio topica tamen, in vasis inflammatis citius agendo, quodque ægrum haud debilitat, cæteris remediis omnibus hoc morbo usurpatis, haud parum præstat; et in forma memorata, ubi morbus sæpe localis est, remedium aptissimum est. Incisa arteria temporali, sanguinem mittere, et topicè, et generaliter agit, et sæpe commodissimum remedium est; sanguis quoque in haud parva copia, detractus est temporibus, cucurbitulis cruentis; hirudines tamen, his plerumque

---

* A Treatise on Diseases of the Eye, by J. C. Saunders, p. 29. Lond. 1816.

anteponentur; proprius enim applicare possunt quod fit aut temporibus, oculive angulis; sed cavendum est, ne oculo nimium appropinquant; irritationem enim magnam, et palpebrarum tumefactionem nonnunquam faciunt; præsertim si erysipelas morsus adoritur. Vena etiam angulo oculi interno, si prominens sit, commode incidi potest; et unciæ plures hac ratione interdum detractæ sunt. Ut modus sanguinem mittendi adhuc efficacior olim mos erat, conjunctivam scarificare, vasaque tumida dividere. Quantitas sanguinis hoc modo emissa, levissima est, et vasa cito coëunt, nisi pars eorum exscinditur, et oculum adeo irritat ut in Opthalmia Acuta, commode usitari nequit. Itaque solummodo formæ chronicæ aptum est, nisi conjunctiva effusione seri elevatur tunc non inutile erit distentionem levare evacuatione hujusmodi idoneâ.

Purgantia hoc morbo remedia eximiæ virtutis sunt, et multum et meritò laudantur. Parum refert, quidnam horum datum sit, si modò alvum libere, sed sine dolore, solvat.

Hoc verò ita intelligi debet, ut cathartica qui refrigerant, iis quæ corpus nimium excitant, utique anteponantur. Calomelas datur, jalapa, vel quilibet sales neutrales, et per totum morbi cursum necessaria sunt, in casibus acerrimis, æque ac in levioribus, et usurpantur cum amplius sanguinem mittere, ne quidem fas est.

Emetica eodem consilio adhibentur, atque post missionem sanguinis, et cathartica maxime prosunt, si ad nauseam movendam dantur. Utilia esse creduntur, reprimendo pulsus celeritatem et frequentiam: Etiamsi vomitum inferant nisus vehementes, qui hanc actionem comitantur, magis quam æquantur debile cordis et arteriarum motu ita inducto.

Epispastica, præmissis evacuationibus, in omni morbi gradu adhibentur, et plurimis nonnihil laudantur, irritationem et derivationem aliis partibus excitandis. Pro hâc causâ, prope oculum apponi non debent, nonnulli suadent pone aurem, ac propius applicari non oportet. Illust. Ware autem dicit parvum vesicatorium temporibus, præ-

sertim si mox post hirudines admotas, maxime prodesse *. Interdum ad cervicem magnum applicatur, aut etiam toto capiti, abrasis capillis.

Fomenta Calida, in stadio inflammationis activæ, utilissima gratissimaque sunt, dolorem enim mitigant, vel pro tempore removent. Hæc sunt decocta papaverum, vel malvarum, etiam aqua tepida sola sæpe usurpatur. Eorum omnium virtus, certe ex medicamentis non pendet.

Remedia jam dicta fere omnia sunt qui in primo morbi impetu et violentia utuntur, et si tempestive adhibita sunt, nunquam violentiam levare deficient. Raro autem convenit morbum his remediis generalibus removere; ægrum enim debilitant, et interdum curationem efficere nequeant. Superata enim violentia morbi, hæc citius, et minore molestia, conficitur medicamentis oculis ipsis adhibitis; qualia atoniam vasorum removent,

* Vide Remarks on the Ophthalmy, &c. by J. Ware, p. 44.

et ad statum naturalem reducunt, eosdem leniter stimulando, vel astringendo.

In hoc statu, igitur, fomenta frigida esse debent, et valde utilia sunt; multis quidem, sine discrimine, in initio etiam morbi adhibentur, et, si morbus levis est, fortasse hoc commode fieri potest, sed dum urget, raro innocua sunt. Quin Richterus clarisssmus inquit, "Quotidie observo quantum damni "adferunt oculis inflammatis, sueta illa col-"lyria adstringentia, quantum emolumenti "emollientia *."

Horum usus sensu ægri semper temperandus est, veluti, si dolorem levant grataque fiunt, quanquam levem dolorem primo admotu excitaverint: Si brevi tempore cessat, et omnia meliora linquuntur, nil dubium est quin optima sunt. Sed si dolor multum augetur, si paulo post signa haud levantur, vel exasperantur, pro tempore commorandum est, donec inflammatio remediis idoneis minuitur. Fomenta ex aqua frigida,

* Fascic. iii. p. 101.

solummodo multum prosunt; tamen plerumque vires ejus adstringentes, augentur quibusdam salium, in aqua solutis. Hi sunt, aut Sulphates Cupri, Zinci, vel Aluminis, Acetas Plumbi, vel Zinci, aut interdum Hydrargyri Murias, granum unum vel duo, in uncia aquæ destillatæ soluta, et probè valent, sed cavendum est ne fortiores adhibeantur, et inflammationem excitent. Quædam stimulantia in Ophthalmiæ curatione commendata sunt; et grana quædam Camphoræ, vel drachma Alcoholis, lotionibus astringentibus sæpe addita sunt. Sed remedium hujusmodi longe celeberrimum, et Illustrissimo Ware * præsertim usitatum, Tinctura Thebaica est. Hujus guttæ aliquæ angulo interno inter palpebras insertæ sunt, et per totam oculi superficiem extensæ, tarsos leniter movendo; et si proprio tempore adhibetur spem medici raro fallet. Dolorem aliaque signa molesta brevi tempore minuit, quanquam primo admotu hæc paulum auget, et fluxum lacry-

* Remarks on the Ophthalmy, p. 48.

marum incitat, quod utilissimum est, levando congestionem vasorum. Sed hi effectus solummodo expectandi sunt cum inflammatio activa abest. Si admovetur, dum hæc perstat, omnia in pejora ruunt, observationesque Doctissimi Ware hoc satis probant. Dicit enim, " But this speedy good effect is not " to be expected in all cases indiscriminate- " ly ; in some the amendment is more slow " and gradual, requiring the tincture to be " made use of for a much longer time ; and " a few instances have occurred, in which " no relief at all was obtained from its first " application. In cases of the latter kind, " the complaint is generally recent *," &c. In tali casu, applicationem tincturæ deferri suadet, donec irritationem propriis remediis superatur. Si margines palpebrarum post somnum adhærent, illinere oportet quodam unguento miti.

In stadio inflammationis activæ, regimen

* Remarks on the Ophthalmy, p. 50.

antiphlogisticum ad curationem multum valeat, sed per totum morbi cursum, non necessarium erit. Finem versus enim, si æger habitus strumosi est, curatio expeditur, et diæta moderata, morbum chronicum evadere prohibebit.

Intolerantia lucis signum longe molestissimum levari potest, umbraculo idoneo ex levibus materiis facto, quodque oculum non contingat. Emplastra, et Hapsi linteorum, huic usui non apta sunt, oculum enim pressu et lacrymarum retentione, valde irritant.

Cum morbus pene cessavit, et lux ægro non adeo molesta est, oculos eo gradatim assuescere oportet: nihil enim dicet celeb. Scarpa, irritabilitatem magis sustentat quam si oculi, nimis diu luce seclusi sunt.

DE CURATIONE OPHTHALMIÆ PURULENTÆ.

Huic formæ ratio medendi haud diversa est, et iisdem conficitur remediis. In hoc

tamen, quoniam morbus multo gravior est, et cursu celerior, missioni sanguinis copiosæ, et repetitæ, præcipue fidendum est; et hanc ad levationem, symptomatum prosequi oportet, alia evacuantia strenue cum hâc adhibita, solatium insigne suppeditant, cumque stadium activum his superatur, fluxus purulentus reprimendus est iisdem adstringentibus. Si Gangrena autem cornea correpta est, ab evacuatoriis cessandum est, et ad roborantia confugiendum, veluti Cinchonam, aliaque tonica, cum diæta idonea comitante; Cinchona infantibus commodè datur, extracto cibis admisto.

Inspectio oculi, hâc in formâ, medico non pretereundum est, ut corneæ statum cognosceret.

DE CURATIONE OPHTHALMIÆ IRIDIS.

In hac si inflammatio urget, magna effusione lymphæ comitata, missionem sanguinis

copiosam adhibere oportet; et tentandum est, actionem vasorum morbidam, mutare absorptionique lymphæ favere, quod optime fit Hydrargyri usu, id quod variis auctoribus in hac forma commendatur. Clar. Farre dicit se experientia certiorem factum fuisse, hoc remedium, proprie adhibitum, et continuatum, sat esse Ophthalmiam Iridis superare in forma acutissima *.

Et Dom. Travers, de hoc remedio scribens, inquit, " But if any two facts are well esta-
" blished in modern medicine, I apprehend
" they are these,—*first*, The power of mer-
" cury to arrest acute membranous inflam-
" mation, both prior to and after the effu-
" sion of adhesive matter; and, *secondly*,
" Its power rapidly to remove, by an ex-
" citement of the absorbing system peculiar
" to itself, the newly effused adhesive mat-
" ter †."

---

* Saunders' Treatise, p. 38.

† Synopsis of the Diseases of the Eye, p. 291.

Nihilominus, si vires ægri, ætate, aliis morbis, vel hydrargyri usu nimio, fracti sunt, cautissime adhibendum est; et si, ut in corporibus quibusdam nonnunquam fit, morbum usus exacerbat, protinus ad alia revertendum est, veluti missionem sanguinis, et alia evacuatoria.

Hydrargyri administratio effectibus ejus regenda est; et, cum aliquod tempus est, priusquam effectus peculiares suos corpore ostendit, curatio multum accelerata erit missione sanguinis topica et generali.

In hac specie, extractum belladonæ, mira dilatione quod pupillæ efficit, adhæsionem inter margines iridis reprimit; et Illustrissimo Saunders multum laudatum fuit *. Si oculum non irritat, paulum extracti superciliis illinere oportet.

* Treatise on Diseases of the Eye, p. 63.

DE CURATIONE OPHTHALMIÆ CHRONICÆ.

Si Ophthalmia in formam chronicam transiverit, quod fit vitiis oculi, vel pravo corporis habitu, rubor et pyrexia nulla aut levia sunt; intolerantia lucis tamen multum vexat. Nihilominus, dolor parum sentitur, si oculi luci non objiciuntur. Si curatio tardatur, vitio membranarum, ut ab ulceribus vel conjunctiva granulis obtecta, ad statum naturalem enim post Ophthalmiam Purulentam lente redit, morbus interdum longe durat, et exasperatur frictione granulorum, curatioque confici non potest dum hic status manet. Si ulcera morbum sustentant, diæta moderata, et lotiones adstringentes, propriæ sunt. Si ad sphacelum extenduntur, ulceri admovere, penicillum nitratis argenti separationi partis mortuæ, multum favet. Si conjunctiva morbida manet, illinenda est unguento oxidi hydrargyri rubro, vel unguento nitratis hydrargyri, vel solutione nitratis argenti. Si hoc

modo cito non sanatur, eversis palpebris, scalpello granula oportet abradere.

In Ophthalmiâ habitus strumosi symptomatica ad valetudinem ægri generalem spectandum est; morbus enim chronicus, vel atonicus, fere semper est, igiturque missio sanguinis, et aliæ evacuationes, non solum non necessariæ sunt, sed ægrum debilitando sæpe valde nocent. Attamen si in formam activam unquam apparet, detractio sanguinis topica utilis erit. Diæta, et exercitatio idonea, maxime valeant, et vesicatoria huic formæ perutilia sunt. Diaphoretica, calomelas, et opium, fomenta calida frigidave, uti ægro gratum sit, laxantia lenia, cum solutionibus astringentium, multum dilutis, ab auctoribus emendantur; sed quum Ophthalmiæ strumæ, aut alicujus morbi symptomatica est, attentionem medici dari oportet, ad corrigendum habitum pravum, vel auferendum morbum. Quodcunque enim valetudini ægri profuerit, oculorum morbo aptissimum erit; et si aliquando de visu periclitetur, propria remedia adhibenda sunt. Ophthal-

mia variis morbis inducitur, et tunc Chronica fere semper est, ut a Syphilide, Variola, Rubeola, etiam Rheumatismo, tum in tunica sclerotica sita esse dicitur. In forma intermittente aliquando apparet, quod optime levari dicitur decocto lignorum, et muriate hydrargyri, cinchona, a Domino Wardrop multum hunc in usum laudatur.

DE SEQUELIS QUIBUSDAM OPHTHALMIÆ MEDENDIS.

His ita, de ratione medendi in Ophthalmia præmissis, superest tantum, ut tractationem quorundam eventuum cursu hujus morbi, sæpe valde molestorum, quam brevissime explicabo.

Si cornea effusione seri elevatur, et conica fit, metuendum est, ne a nimia distensione rumperetur, quoniam ruptura mediam corneæ partem plerumque occupat. Aperturæ sanatio excipitur cicatrice magna, opaca, pupillæque objecta, transitum lucis igitur ad retinam fere penitus prohibens. Oportet igi-

tur, si hoc malum instat, humorem aquosum emittere, aperturâ margine corneæ facta, et pupillæ non objecta. Hoc sæpe commodissimum esse satis constat, effectibus ejus a Domino Wardrop * prolatis; lympha, aut pus quoque, magna copia ante iridem effusa, hoc modo removeri possunt. Tamen, si effusio horum fluidorum neque magna est, nec marginem iridis superat, sat erit, plerumque, absorptioni favere stimulantibus lenioribus, et usu hydrargyri modico. Hæc tractatio adhibenda est, si cornea obscura fit, lympha inter laminas ejus effusa, et si vasa quæ opacitatem nutriunt evidentia sunt, commodum erit ea incidere. Si humores turbantur, et tunicæ oculi distenduntur, magna copia puris aut sanguinis, ut interdum observatur in Ophthalmia violentissima, vel post ictus, incisione libera emittenda sunt. Visum integrum servandi nulla spes est, et hæc evacuatio ægro solatium magnum præbet. Si gangræna partem solum corneæ occupat, iridis

---

* Wardrop on the Effects of evacuating the Aqueous Humour.

prolapsus cohibere fortasse poterit remediorum roborantium usu. Hæc idonea sunt, si ulcus est clarum, lympha non circumfusum; sed si zona lymphæ ulcus circumdat, roborantia omittenda sunt, ne effusionem nimiam, et adeo opacitatem inducant.

Si iris procidit, solutio nitratis argenti ad sanationem multum prodest; et si pars magna hujus membranæ prominet, abscindi potest; irritabilitatem vero, et inflammationem frictionibus palpebrarum in eo excitatæ, levare possunt, admotu penicilli nitratis argenti.

Hi quidam effectus sunt Ophthalmiæ, dum inflammatio perstat, sæpe occurrentes. Hi igitur levati, ad morbi curationem, et visûs conservationem, haud parum prosunt; descripsisse tamen rationem medendi, in omnibus Ophthalmiæ terminationibus, limites hujus Dissertationis Academicæ longe superâsset.

FINIS.

Excudebant Jacobus Pillans & Filius.